DE ETHRUSCARUM ANTIQUITATUM FRAGMENTIS SCORNELLI PROPÈ VULTERRAM...

Vincenzo Renieri

Digitized by Google

1096.3

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1096
8

1096
3

1096.3

Digitized by Google

XV
1096-3

DE ETHRVSCARVM ANTIQVITATVM FRAGMENTIS

Scornelli propè Vulterram
repertis

DISQVISITIO ASTRONOMICA

Ad Sereniſs. ac Magnum Ethruriæ Ducem

FERDINANDVM
SECVNDVM.

AVTHORE D. VINCENTIO
Renerio Oliuetano.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

Florentię Typis nouis Amatoris Maſſę, & Soc. M.DC.XXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

1096.3

Digitized by Google

QVI Veritatem dixére temporis filiam (Serenis. Princeps) haud Hercle à Tegeęo reſponſa collegerunt Oraculo; Nam quæ pro continuò mortalium interitu irrequieto pede rotantur, non poſſunt tantis horæ inſeruire natalibus, atq; vna eademq; temporis inclementia, quæ tribulos inter, & vepres excelſas recondit vrbes, vna eademq; implacabilis extinctam nititur; tumulo condere Veritatem, adeò vt in Αγει δὲ πρὸς θάνατον *mutari poſſit illud Comici,*

Αγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος

Quid ergo miramur, ſi renaſcentem Ethruſcæ magnitudinis memoriam dubiá Mundus aure percepit, & poſt ferè geminatas tot annorum myriadas, de ſecretis Scornello pyrgi viſceribus erumpentes refugit audire clamores? Ego ſanè vt primas accepi voces, in eam ingenuè fateor, me perexiſſe ſententiam, vt illas otioſi cuiuſpiam ſenis deliramenta crediderim, cui placitum olim fuerit, ridiculo commento cum

 poſte-

poſteritate iocari; ſed enim dum altius rem perpendo, ecce Supernorum luminum inexpectata phænomena, ecce laborantis Latonidos inſperati rubores, quibus ad veritatem per obſcuras æui caligines indagandam, clariſſimam extulit facem Feſulanus aruſpex. Alacres igitur ad huiuſmodi lucem aduerti luces, oblatam Cælo lampada ſum ſequutus, ac ducibus accidit aſtris, vt inter inextricabiles temporum ambages, ad eam merear veri coniecturam perueniße, quæ poſt vitatam tot annorum inclementiam, poſt ſuperatam ſæculi voracis ingluuiem, maior haberi poſſit à quopiam. Erit, arbitror, hoc intellexiſſe præcipuis non ingratum Ethruriæ Accademijs; Erit Sereniſſimæ Celſitudini tuæ non iniucundum, ſi primos flores Aſtronomicos à MEDICEARVM TABVLARVM *horto deriuatos, ad tam nobile Ethruſcæ magnitudinis teſtimonium deſeruire cognouerit, ſed age Augurem adeamus.*

Inter præcipua ETHRVSCARVM ANTIQVITATVM FRAGMENTA, *quæ nuper & adinuenit, & edidit nobilis vir Curtius Inghiramius Patritius Vulterranen. duo præclara de Cælo ſummuntur teſtimonia, quibus Tyrrhenas illuſtrauit memorias Proſperus Veſulius Feſulanus Ethruſci Augurum Collegij Scriba. Alterum Epiſtola ad Curtium libro primo pag. 3. l. B. vbi hæc* Cum tuæ ſint Scripturæ ſcito tibi opus eſſe ad eas inueniendas auxilio amici, & patris, nam id aſtra nudius tertius demonſtrarunt, Nam hæc tria aſtra Caris, Mor, & Turg ſimul coniuncta vidi. *Alterum in Cathalogo rerum quas repoſuit pag. 272. l. A. vbi legitur:* Id cum de te auguria caperem cognoui ab aſtro, quod Arthon

vocant

vocant, quod in defectu Lunæ Veneri iunctum penè erat. *Huiuſmodi ergo phaſibus Ethruſcarum antiquitatum fidem inueſtigantes. Queremus primo, quiſnam ante Virginis puerperium fuerit annus ab obitu Catilinæ primus: Num ipſo Luna laborauerit: an dato quod defecerit Venus hora illa in finitore noſtro conſpicua fuerit; & vtrum denique circum hæc tempora trium aliquot ſyderum ſyzigia animaduerti potuerit.*


Ad anni quod ſpectat indaginem celebris Auguſti Cæſ. ortus, eandem incidens dieſn, qua detecta eſt Sergij Catilinæ conſpiratio præfulgidum ſanè iubar exerit, ad caligantes dierum tenebras fauſto lumine depellendas. Natus eſt ille Marco Tullio, & Caio Antonio Coſ. nono Kal. *Octobris anni veteris Pompiliani, manè paulo ante Solis ortum, vt propterea pater Octauius in Senatum, qui ſummo manè coniurationis periculo indictus fuerat, ſero veniens, tarditatem ſuam vxoris puerperio excuſauerit. fuit autē annus hic ante vulgatam Chriſti æram ſexageſimus tertius ante verū, ſexageſimus primus, vt vel vno præmemoratæ Eclipſeos teſtimonio ſat clarè pateat, biennium in Dyoniſiaca annorum numratione à nobis deſiderari. Cadat enim iuxta communem ſententiam ſacroſancta Chriſti natiuitas in annum quindiceſimum ante Octauiani mortem, qui vſque ad ſeptuageſimumſextum vixit accidet, vt annus ſexageſimus primus ante Chriſtum ille ſit, in quem cadit Catilinæ interitus ſexageſimus verò in quem Scornelli direptio. Igitur currente anno ſexageſimo ſecundo ante vulgatam Chriſti æram, ſexageſimo autem iuxta veram.* Suet. in Auguſt.

Secundum Tabulas Mediceas, & Tychonicam ex Keplero rationem.

		D. H. I. II
Media Solis, ac Lunæ oppoſitio fuit Aprilis		21.23.54.38.
Interuallum mediæ, & veræ ſubtrahendũ		7.12.42.
Ac veræ oppoſitionis tempus æquale		21.16.41.56.
Quâ horâ Sol reperitur in	*Ariet.*	29.14.52.
Luna verò ex oppoſito in	*Libr.*	29.14.52.
Sed & nodus Boreus in	*Ariet.*	22. 7.15.
Et diſtantia Lunæ ab Auſtrino		7. 7.37.
Quare vera latitudo Lunæ Meridiana		0.39.31.
Semidiameter quoque eiuſdem		15.39.
Et ſemidiameter ſolis		15 14.
Parallaxis Lunæ Horizontalis		60.56.
Parallaxis Solis		1. 1.
Ergò ſemidiameter vmbræ terræ		46.43.
Et ſumma ſemidiametr. Lunæ, & vmbræ		62.22.
Vnde ſcrupula deficientia		22.51.
Ac digiti		8.46.
Scrupula quoque incidentiæ		48.20.
Et horæ		1.33. 0.
Vnde caſus		15. 8.56.
Medium		16.41.56.
Et emerſio		18.14.56.
Latitudo quoque ad initium		34.11.
Ad Medium		39.31.
Ad finem ſemper meridiana		44.45.
Et tota denique Eclipſeos duratio		3. 6. 0.

Dya-

DYAGRAMMA DEFECTVS.



Videt igitur anno poſt Catilinæ mortem Sereniſs.Celſitudo tua, aliquam obſeruari potuiſſe in Horizonte noſtro Lunæ obſcurationem: videt ex improuiſo fatalia tollentem cornua pro arce dicata feliciter pugnare Dianam; vnde non niſi ſupereſt videre, vtrumnè iuxtà Proſperi memorias, Venus eo tempore conſpici potuerit, & an Latoniæ fidei velit ſuffragari Cytheris.

Datur

Datur autem ipſo mediæ Eclipſeos momento, ſecundum Tabulas Mediceas in Horizonte Vranopyrgico.

	S. P. I II		S. P. I II
Medius motus Veneris	9.28.15. 8.	*Et maxima Orbis Proſthaphereſis*	45.49. .
Apogæon eiuſdem ſubtrahendum	8.25.12.54.	*Ac vera æquatio à loco Solis ſub.*	36. 8.18.
Ergo anomalia Centri	1. 3. 2.14.	*Quare verus locus Veneris in Zodia-*	
Et Proſthaphæreſis centri ſub.	0.25.41.	*co* Piſc.	23. 6.34.
Ac locus Veneris centricus in Ecliptica	9.27.47.15.	*Locus quoq; nodi Borei Veneris*	1.21.19. 5.
Verus quoque locus Solis	0.29.14.52.	*Et diſtantia illius ab Auſtrino*	2. 6.30.22.
Vnde anomalia orbis vera	8.28.32.23.	*Ergo latitudo Veneris auſtrina*	1.49.

Oritur autem Sol in Horizonte Vulterrano ad latitudinem partium 33. cum vltimo Arietis gradu, horá poſt meridiem 17. 15. vt ex inde ſublatis m. 10. differentiæ meredianorum inter Vulterram, & Vraniburgum, Eclipſeos initium apparuerit Scornelli horis duabus, minutis ſexdecim ante Solis ortum medium minutis quadraginta tribus, finis verò Sole iam exorto, & Phœbe ſubtus Horizontem demersá: Sed & Venus die illá horá 1.21. ante Solem cum 24. piſcium gradu illum ſuperauit finitorem, ac propterea cum Luna in deffectu ſuo apertè laboraret ſyderibus quæ ſunt in flexu iuncturæ Piſcium Cytheris copulata refulxerit, Quo fit vt ſi aliquid nobis coniectari detur de aſtro illo, cui Venus prohibetur appoſita, quodq; apud Ethruſcos, Arthon, dicitur, crediderim, vel Scriptoris incuria, vel translatione Græci ad Ethruſcos litteram, r, expunctam fuiſſe dicendum artbron, ἀρθρόν quod apud Ellinadas iuncturam ſignificat; ſicq; omnia ſupernè quoad primum hoc Cæli teſtimonium cum Proſperi memorijs nobiliſſimè conſentiunt; pergamus igitur ad ſecundum.

Anno

Anno eodem diebus aliquot poſt præmemoratam Eclipſim completis prima ſcilicet menſis Iulij mane ante Solis Ortum, vel hora 15.30. poſt meridiem vltimæ Maij datur in Horizonte Vranopyrgico.

Medius motus Saturni	1. 9. 6.21.	*Et anomalia Orbis vera*	0.29.39.25.
Apogæon eiuſdem ſubtrahendum	7.21. 1.56.	*Ac maxima Proſthaphæreſis Orbis*	6 31.
Ergo anomalia Centri	5.18. 4.25.	*Ergo vera & addenda*	2.55.41.
Et Peoſthaphæreſis Centri ſubtr.	1.27. 4.	*Et verus locus Saturni in Zod.* Taur.	10.36.36.
Vnde locus Centricus ad eclip. reductus	1. 7.40.55.	*Locus inſuper Nodi Borei eiuſdem*	2.18. 1.12.
		Et diſtantia Centrici ab Auſtrino	4.19.38. 5.
Verus quoq; locus Solis	2. 7.20 20.	*Quare latitudo Meridiana*	1.13.

Eodem quoque momento datur.

Medius motus Veneris	0. 2.14.32.	*Ac maxima Proſthaphæreſis Orbis*	45.14.30.
Apogæon ſubtrahendum	8.25.13. 3.	*Ergo vera & ſubtrahenda*	26.38.59.
Ergo anomalia Centri	3. 7. 1.29.	*Ac verus locus Veneris in Zodiaco* Taur.	10.41.21.
Et Proſthaphæreſis Centri ſub.	47.18.		
Vnde locus Centricus & Eclip.	0. 1.30.12.	*Locus inſuper nodi Borei eiuſdem*	1.19.39.13.
Verus quoque locus Solis	2. 7.20,20.	*Et diſtantia Centrici ab Auſtrino*	4.11.48. 1.
Et anomalia Orbis vera	9.24. 9.52.	*Vnde latitudo Meridiana*	1.15.

Sed & ad eandem horam datur.

Motus primæ Stellæ Arietis	0. 4. 4.38
Et diſtantia ipſius ab Aldebaran	1. 6'35. 0.
Et verus locus Aldebaran cum lat. M. 5. 31. Taur	10.39.38.

Vt propterea manè primæ Iunij, ante Solis ortum, tria ſimul aſtra, quorum duo Planetæ, & tertium primi honoris, in vndecimo Tauri gradu coniuncta, potuerit optimè Proſperus intueri, atque à radiantibus Cæleſtis aulæ luminibus ſuum promere vaticinium. Nam ſi nobis iſthic aliquantiſper ſit promiſſum, Genethliacorum placitis immorari, Quibus Ethnicum hominem augurum Collegio adſcriptum plenam adhibuiſſe fidem, non eſt cur dubitemus: per Taurum in quo thronum Luna tenet, Scornelli Dianæ Sacri Dominum intelligentes, per Saturnum ex Ptolomæi τετραβίβλῳ *Patrem, ac per Venerem deniq; amicũ interpretati, mirum non putabimus, ſi Scharith ſua non niſi à patre, filio, & amico ſimul iunctis inueniri poſſe crediderit, quæ in Cæleſti huiuſcemodi ſyderum ſyzigia, tunc primum terræ commendata fuiſſe perſpexerat; mirum ſanè videri poterit, caſum adeò feliciter antiquis arriſiſſe prognoſticis, & ex fallacibus Aſtrologorum principijs, tam certum effluxiſſe præſagium.* Porrò

Porrò iſthic quando de huiuſmodi meminiſſe accidit vaticinijs, ab aliâ nobili ſuperſedere non poſſum coniecturâ, quâ firmiùs memoriarũ huiuſmodi & fides, et veritas corroborari poſſe videtur. Bis aſſerit augur libro 3. pag. 219. l. C. Bis inquam, ſe de poſſeſſore Scornellanæ arcis auguria fuiſſe venatum: habet enim illic: Nam, quod gaudeo, ab hinc triduo Aſtra à te huius caſtri reliquias poſſidendas demonſtrarunt, quod & ex primis Augurijs cognoui, quæ obſesſus cœpi. *Igitur cum inſpexerimus Auguria prima, capta eſſe in defectu Lunæ vigeſimâ ſecundâ Aprilis incidenti, poſteriora verò in ipſo Iunij principio, ex congreſſu Veneris, Saturni, & Aldebaran, ſatis patet nonaginta illa ſcripturarum Scarith, quæ ante huiuſmodi Aſtrorum Synodum, Epiſtola ad Curtium, ſe repoſuiſſe aſſeuerat, diebus inter vigeſimam ſecundam Aprilis, et Iunij Kalendas præterlabentibus, terræ, Dijſq; manibus fuiſſe commendata. Quocirca dum in Scarith illo, quod penultimâ anni 1634. detumulatum fuit, lego:* Hæc hodie, cum Apollini deuouerem, diuinitùs accepi, cum obſiderer à Romanis ego Proſperus, *in mentem venit ſcrutari, num priſcos apud Ethnicos diebus hiſce intermedijs, mos fuerit Apollini deuouere: inuenio autem apud Atheneum lib. 10. c. 7. die ſeptimâ menſis Athicorum Thargilionis, ſolitos fuiſſe Gentiles, Apollini ſacra facere, vel quòd eo menſe Latonæ fuerit puerperium, vel quòd tunc primùm Phœbus placidiori ſuæ frontis radio, calentes fœcundare campos incipiat, atq; adeò* ἀπὸ τοῦ θέρειν τὴν γῆν *dictum Thargiliona menſem eſſe arbitratos. Verùm enimuero cum anno poſt Catilinam extinctum, initium Hecatumboeonis cadat in diem Iulij quintum, iuxta neomeniam*

ſolſti-

ſolſtitio æſtiuo propinquiorem, cadet quoque Thargilionis ſeptima, Apollini ſacra, in diem Martij 13. vnde, & antiquus Phœbo deuouendi ritus optimè apparebit obſeruatus, & Scornellanæ arcis memoriæ non à Dianâ ſolummodo, ſed et ab Apolline ſimul fidem ſortientur illuſtrem.

Interim ad leuia quædam, quæ obijci poſſunt, & volunt, facilè diluenda veniamus, ſi primùm ſit in confeſſo, non potuiſſe huiuſmodi memorias, dato quòd commentitiæ forent, minus ſaltem, quàm ducentis ab hinc, & ampliùs annis, inter Scornellanas tumulari ruinas; docent hoc annoſiſſimæ quercuum radices, ea benigno ſinu Antiquitatum fragmenta complexæ à quiauſtera nimis quorundam cacozelia, vt ſup poſititijs, & fabuloſis abhorret; docet ipſarum ſcripturarum atramentum, ad primum aeris conſpectum ſenſim euaneſcens, ac ſi mitioris poli ſolare iubar ſubſtinere non valeat, quod in tam longa terrenarum viſcerum caligine latitauit. Etènim hoc poſito, ſi fictitias adhuc Feſulani vatis credere ſcripturas animo ſedeat, fatendum eſt certè, aut virum, qui monumenta repoſuit, Aſtronomices non ignarum adhibito, pro vt egimus, errantium calculo, quotidianum Cæli ſiſtema tunc fuiſſe ſcrutatum; aut ex aliquo viuente poſt Catilinę mortem authore, ſpecioſum hoc Cæli teſtimonium ſuas ad fabulas deriuaſſe; vtrumque ſanè prorſus inueriſimile.

Quod ad primum enim, vix tandem noſtro ſæculo cognitus eſt error numerationis Dyoniſianæ, biennium in annis Chriſti deſiderantis, quam dum vt veram totus orbis centum ab hinc annis amplexaretur, quis non videt aſtronomos ad annum poſt Catilinæ mortem contendentes bienniũ à ſcopo neceſſariè aberraturos, ac fruſtra (quemadmodùm nobis

acci-

accidiſſet) præſatas phaſes in Cælo quæſitas iri niſi oculatiſſima Cronologorum noſtri ſæculi diligentia Dyoniſiacum errorem indicauerit; ſanè qui antiquam nouit Aſtronomicen perplexam in abactis annis ambiguitatem impoſſibile neceſſe eſt fateatur, Cæleſtia huiuſcemodi teſtimonia per computum Mathematicum Scornello pyrgicas potuiſſe interſpergi ruinas. Nec *minus adduci ſinor vt credam, ex aliquo ſæculi, tunc labentis authore præfata valuiſſe phęnomena depromi; præterquam quod enim dum Scriptor non affertur, ridiculum eſt ſomniato teſte tot argumenta repellere, parum etiam credibile eſt priſcos Authores leuioribus hiſce animum phaſibus aduertiſſe. Et ſi enim de lunari deffectu vltro dederim, à quopiam potuiſſe deſcribi, vix tamen crediderim tunc etiam Veneris aſpectum adnotatum fuiſſe; nullus erat tunc noſtrarum vſus ephæmeridum, vix Solis, Lunæq; Canones per Hypparcum patebant, reliquorum curſus Planetarum rudis indigeſtaq; cognitio; & putamus congreſſum Saturni, Veneris, atque Aldebaran platicum ob latitudinem, & nihil ſublime oſtentantem, adeò ſcriptores illius ęui habuiſſe ſolicitos, vt per quadrantem horæ vix conſpiciendus, meruerit mirabili diligentia poſteris demandari? Pythonem ſanè habuit quiſquis ille author fuit, qui tempore Catilinæ id in Cælo notauit, ex quo futurus poſt annos ferè bis mille fabularum impoſtor commenta ſua non niſi à patre filio, & amico ſimul iunctis inuenienda fore predixit.*

Quid verò illis dicam, qui antiquá tumidi lectura Feſulani, Auguris fidem gloriantur effringere, quod chartis linteis eo ſæculo orbi ignotis quamplures exararit memorias? an ne ſequutus Curtium reſpondeam, Quintum Valerium

Flac-

Flaccum ſicut in Proſpero legitur, lintearum vſum ab Etruria in Latium deriuaſſe? haud hercle pace ipſius; nam ſi fictitium quis credit authorem, nullo pacto ſtabit citatis ab illo teſtibus; aliundè prorſus ſunt inquirenda ſuffragia. Iunium audiant Tyberianum cum Vopiſco diſſerentem, qui in vnius chartæ linteæ fundamento ſua ſuperſtruunt ædificia: Quæ omnia (*geſta puta Valeriani Caſ.*) ex libris linteis, in quibus ipſe quotidiana ſua Scribi præceperat, pro tua ſedulitate condiſces; curabo autem, vt tibi ex vlpia Bibliothæca, & libri lintei proferantur. *Liuium legant, qui priſcas in linteis memorias ſuſpectas habent.* Magiſtratuum libri quos linteos in æde repoſitos Monetæ Macer Licinius citat &c. *Sciantq; tantum abeſſe, quod ex linteis fides auguris ſuſpecta fiat, vt inde potius condidior eluceſcat, cum rerum geſtarum memoriæ, & quæ condi ſacris ædibus digna viſa ſunt linteis, vt à Proſpero factum, conſcribi voluminibus ſolita fuerint; non erat forte tunc ædificiorum pro linteis, vti nunc eſt, & vſus; & formæ; nimio fortè ſumptu conficiebantur; vnde, & rarò viſæ, verum nullatenus extitiſſe, ni mendoſos Flauium velim, & Liuium adduci non poſſum, vt putem. Quod autem aliquibus diffitultatem facit, continuata in Proſpero, ac ferè eadem ſtili octo plus minus authorum vniformitas parum conſiderationis meretur, ſi ſcriptores non ad eloquentiæ pompam, ſed ad Scribarum inſtitutum, breuiſſimo ordine ſcripta exaraſſe putemus; quid enim ſimilius talium hominum ſtilo? quid confirmius notariorum libellis? ego ſanè cum antiqua neotericis inſtrumenta compono, nihil minus difforme reperio; Quod etiam facit, vt aliquibus antiquita-*

Flau. Vopiſ. in Valeriano.

Liuius lib. 4. Dec. 1.

tem non redolere videantur præmemorata Scriptorum monumenta; nam eneruata propter nimiam breuitatem, & Ethruſco latinè calamo dictata, eloquentiam quam illi antiquitatem vocant, nullatenus habent. Sed neq; eſt, quod me terreat familiarum Proſperi, cum noſtro ſeculo viuentibus analogia, ſicut enim ex eo, quod circa Latium plures nunc etiam viuunt antiquorum familiæ, & ſuos habet Roma Sabellos, Vitellios &c. Cornelios, & Marcellos, Veneti: Camillos, Mutina: Pios, Ferraria; non tamen eſt quod Liuij decades, aut Taciti annales ſuſpecti fiant, ita nec Proſperi memoriæ quod Caſios Dandolios, Dorios, & conſimiles nobis enumerent.

Hæc ſunt Sereniſs. Princeps quæ ex Tabularum Medicearum penu depromimus, breui quoq; tabulas edituri, ſi faxit Deus Optim. Max. & moram hucuſq; protactam nouo penſaturi beneficio, dum per vnicam Proſthaphæreſeon Orbis tabulam Planetarum loca iuxta Ptolemaicas, Alphonſinas, Prutenicas, Danicas, Lansbergicas, & Rudolphinas tabulas vnicâ, & breui methodo excerpemus; Quod ſi ex recenter inuentis Proſperi ſcripturis aliquid ſit de Cælo loquutus, mihiq; communicetur, curabo vt vel firmius prædicta ſolidentur, vel huiuſmodi præſtigæ tollantur. Interim Vraniem noſtram Clementiſs. Princeps magnanimâ non indignetur Maieſtate reſpicere, & me aſtronomicoſq; labores meos, quos ſub feliciſſimis eius auſpicijs inceſanter exerceo, læta fronte fouere. Vale.

Sereniſs. Celſitudinis tuæ

Seruus Humilimus

D. Vincentius Renerius Oliuetanus.

99 959924

Z
1096.3

Digitized by Google

1096 3

Digitized by Google

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma